MORTILOGIUM SANCTORUM
Salzburg (?), 1. Hälfte 15. Jh. Seite 6v
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8138
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Januarius

campum feris et auibus consumendi. Sed corvus affuit qui
aues et feras abigebat. Dacianus ad hec fremens iubet
ut corpus lapidum pondere alligari in mari dimergatur
quo facto priusquam ministri domum redirent, corpus ipsum
ad littus inuenit, quod matrona quedam facta sibi reue-
lacione cum aliis christianis sepeliuit.

23 b cent Beate Emmerenciane virginis et martiris que orans ad sepulchrum
beate Agnetis ab infidelibus lapidata est, pro huiusmodi verbis
que dixit armatis, qui venerunt ut interficerent orantes ad
sepulchrum Agnetis. In felices pro defensione lapidum homines
interficitis innocentes, ob cuius lapidacione christus terremotum
et fulgura mox misit. Ita ut magna pars populi infidelium
moreretur. Propter quod postea orantes ibi anemine ledebantur.
Sepulta autem est sancta Emmerenciana iuxta sepulchrum sancte Agnetis.
Item eodem die sancti Astle martiris, qui primo acrotissime suspendio
tortus, secundo flammis lateribus ad motus exustus, tercio in
flumine precipitatus spiritum reddidit.

24 c thi Sancti Thimothei discipuli beati Pauli. Hic ab eodem apostolo
episcopus Epheso ordinatus, post multos christi agones martirio coro-
natus est. Item sancte Babile martiris cum tribus pueris, quorum primus
puer fuit 12 annorum, 2us nouem, 3us septem. Hii tres pueri
cum matre pro christo pariter occiduntur.

25 d pau Conuersio sancti Pauli, de qua in epistola hodierna sufficienter
tractatur. Item sancti Samani martiris, qui propter fidem primo
ligatis manibus ac pedibus ceditur vectibus ferreis. 2o
cassis ignea capiti ipsius superponitur. 3o super scampnum
ferreum in medio fori superligatur et subter ignis copiosus
accenditur et xl citas olei in ignem funduntur. Orante autem
facto martire scampnum sicut cera liquefactum est. Ipse autem in
medio ignis sicut rosa stetit, orans, quo viso imperator
cecidit in extasim ab hora prima usque ad nonam. Quarto martir christi